

TRIBUNALE APOSTOLICO DELLA ROTA ROMANA - *S. Salvatoris in America* - Nullità del matrimonio - Errore nella qualità - Sentenza definitiva - 22 luglio 1993 - Stankiewicz, *Ponente* (\*).

**Matrimonio - Consenso - *Error facti* - Interpretazione del termine persona del canone 1097 § 1 CIC - La « persona » come persona fisica.**

*Essendo sostanziale, l'errore di persona rende nullo il matrimonio ex ipso iure naturae; nullità che il canone 1097 § 1 sancisce inoltre espressamente: « Error in persona invalidum reddit matrimonium ». Il concetto di persona, tuttavia, nei confronti della quale si può cadere in errore, non è altro che « la persona fisica » (cfr. canone 96). Lo ius connubii, infatti, riguarda soltanto la persona umana o fisica. L'intento di allargare la nozione*

---

(\*) Prende sempre più forza la corrente giurisprudenziale che interpreta strettamente il canone 1097 § 1, in modo che il termine « persona » in esso usato venga a coincidere con la nozione di persona fisica del canone 96. Nella sentenza si critica accuratamente la tesi sostenuta da altre decisioni rotali nelle quali veniva più o meno accettata la nozione di persona ipotizzata nella famosa sentenza c. Canals, 21 aprile 1970.

Sembra tuttavia che si debba attendere ancora del tempo prima che le fattispecie, come quella di cui si occupa la sentenza ora commentata, siano risolte sotto il capo del dolo, e non più come « errori sulla qualità diretta e principalmente intesa ». Infatti, nel caso l'attrice desiderava principalmente un marito che assumesse « le responsabilità della casa », ma aveva sposato invece un attivista di un partito di estrema sinistra. Ci sarebbero stati tutti gli elementi per dichiarare nullo il matrimonio per dolo, poiché il marito aveva occultato la sua militanza politica e, in questo caso — così come si desume dalla lettura della sentenza —, tale qualità poteva pregiudicare gravemente il consorzio coniugale. Purtroppo, il matrimonio era stato contratto nel 1979, quando non esisteva ancora il canone 1098, che — secondo la dottrina giurisprudenziale — non ha efficacia retroattiva.

Quando arriveranno ai tribunali cause riguardanti matrimoni celebrati dopo l'entrata in vigore del Codice di Diritto Canonico, allora ipotesi come quella accennata potranno essere giudicate alla stregua del canone 1098. Sarà pure arrivato il momento di ridurre al massimo l'applicazione del canone 1097: il suo § 1 dovrà essere applicato alle ipotesi di errore di persona « fisica »; mentre il § 2 dovrà riserarsi per quelle ipotesi in cui sia indiscutibile che la volontà della parte non era matrimoniale, poiché il suo consenso era rivolto prevalentemente — *directe et principaliter* — verso una qualità.

J. C.

*di persona fisica in ambito matrimoniale non può essere accettato, se si tiene conto dei principi di interpretazione delle leggi ecclesiastiche (can. 17).*

(*Omissis*). — FACTI ADUMBRATIO. — 1. Anna, in causa actrix, cum vigesimum secundum aetatis suae annum ageret, mense martio a. 1979 apud Universitatem studiorum obvium habuerat Iosephum, conventum, novem annis maiorem, eiusque amore allecta, relationem sponsaliciam cum eo alligavit.

Tempore sponsalium ipsa verbis et agendi ratione Iosephi credit, immo et narrationi excusatoriae de prole ex ancilla familiae suae habita.

Quandoquidem Anna de omnibus rebus confisa erat Iosepho, eique nupsit, die 20 decembris a. 1980, in quadam ecclesia intra fines paroeciae C. in civitate Sancti Salvatoris in America.

Sed convictus coniugalis difficulter progressus est et insequenti anno iam finem habuit.

Nam mense iunio a. 1981 mulier actrix scivit conventum esse fervidum sectatorem organizationis seditiosae extremae sinistrae, dictae « Brigadas Obreras », antequam ipsius socrus mysteriose scomparuit et deinde ab ignotis occisa est.

Tunc conventus fugam arripere debuit in Guatimalam, deinde in civitatem Angelopolitanam, ubi primum apud actricis parentes hospitalitatem invenit, postea vero cum aliis mulieribus conviventiam inceptit. Parti actrici autem licentia immigrationis concessa non erat.

2. Ut statum libertatis in foro ecclesiali assequi posset, mulier actrix, die 19 maii a. 1983, libellum litis introductorium Tribunali Ecclesiastico S. Salvatoris porrexit, quo matrimonium suum pluribus ex capitibus nullitatis accusabat, quae deinceps decreto concordationis dubii quodam modo ordinata sunt.

At sententia prodiit negativa, die 18 ianuarii a. 1985, quoad omnia nullitatis capita.

Agnita enim non fuerunt vario modo descripta motiva nullitatis matrimonii tum ex parte viri conventi, prout « falta de amor » in eo, asserta eius intentio impediendi « la procreación », itemque « falta de fidelidad al estado de vida matrimonial, por haber dado preferencia absoluta a la subversión », nec non « incapacidad a guardar fidelidad »; tum ex parte mulieris actricis, sicut « el error sobre la persona física » vel saltem « sobre la cualidad de una persona » aut « error doloso ».

Pars actrix, accepta notitia sententiae negativae primae instantiae, ad Interdioecesanum Tribunal Appellationis, die 10 septembris a. 1986, provocavit.

Tribunal secundi gradus, quamvis ordinem iudiciale, prout lex iubet, adamussim haud servaverit, et exemplum Tribunalis primae instantiae hac in re secutum sit, die 1 decembris a. 1986, matrimonii nullitatem declaravit tantum ex capite erroris in qualitate personae directe et principaliter intenta ex parte mulieris actricis, videlicet « en base al canon 1097, § 2 ».

3. Appellante Vinculi Defensore causa ad Hoc Apostolicum Tribunal delata est.

Post Turni constitutionem ad tuenda iura partis actricis Patronus ex officio eidem mulieri designatus est.

Dein, partibus rite citatis, dubium concordatum est in sessione, die 16 ianuarii a. 1990 habita, sequenti sub formula: *An constet de matrimonii nullitate, in casu, ex capite erroris in qualitate personae directe et principaliter intenta ex parte mulieris actricis (can. 1097 § 2 CIC)*.

Obtentis tandem iure praescriptis defensionibus, cum causa iam in eo erat, ut per sententiam definiretur, Patres de Turno, die 28 novembris a. 1991 rite congregati, statuerunt: *Dilata et compleantur acta iuxta instructionem a Ponente dandam*.

Dilationem decisionis instructio suppletiva subsecuta est, in qua pars actrix alterum vadimonium sustinuit atque documenta quaedam produxit.

Frustra tamen tempus consumptum erat ut vir conventus induceretur ad reddendam depositionem iudicalem de variis circumstantiis nullitatis matrimonii a parte actrice assertis, praesertim vero quod spectabat ad eius adhaesionem antenuptialem militanti in illa regione factioni politicae communistarum v.d. « Brigadas Obreras ».

Nam Vicarius Iudicialis Tribunalis Angelorum in California post varios conatus occurrendi viro convento rescripsit se rogatoriam exsequi non potuisse, videlicet « to obtain the necessary testimony ».

Quapropter, receptis ac perpensis adiunctivis quoque scripturis defensionalibus, hoc est tum pro actrice cum pro vinculo exaratis, hodie Nobis dubio rite concordato respondendum est.

IN IURE. — 4. Quoniam cuiusvis hominis est errare, lex ecclesialis in ipso iure naturae fundata, ob principium salutis animarum (cfr. can. 1752), limites certos ac definitos statuit efficaciae iuridicae erroris, sive ad tuendam libertatem christifidelis in errorem inducti contra effectus irrevocabilis consensus sub influxu falsae cognitionis

elicti, sive ad removendam incertitudinem de validitate coniugii, si quilibet error a debito officii exsolvere posset.

Quoniam matrimonium, seu viri et mulieris « intima communitas vitae et amoris coniugalis » (Conc. Vat. II, Const. past. *Gaudium et spes*, n. 48), in communione personarum consistit, personae contrahentium haud dubie ad coniugii substantiam pertinent.

Qua de causa electio certae personae uti coniugis libera esse debet non solum a gravi coactione extrinseca vel intrinseca, verum etiam immunis a falsa eius apprehensione, ne quis alteri personae quam praesenti in matrimonii celebratione per errorem assentiatur.

Nam error in persona compartis, etiamsi sit unilateralis, verum consensum matrimonialem impedit, cum sit alicuius eorum quae sunt de substantia ipsius matrimonii, quod plane due includit, videlicet « personas quae coniunguntur, et mutuam potestatem in invicem » (S. THOMAS, *Commentum in lib. IV Sententiarum*, d. 30, q. 1, art. 2, in c.).

Inde error in persona, cum sit substantialis, iam ex ipso iure naturae valorem matrimonii praepedit, cuius vim insuper can. 1097 § 1 expresse sancit dum ita statuit: « Error in persona invalidum reddit matrimonium ».

5. Disputatur quidem utrum error substantialis is persona improprius tantum evadat, quia consensum matrimonialem directe non vitiat, sed negative tantum excludit illum, an potius tamquam obstructivus haberi debeat, id est quatenus cadit in declarationem vel in substantiam, et consequenter obiectum declarationis ab obiecto substantiali consensus deflectit.

Alia ex parte, etsi conceptus erroris epistemologicè falsum de aliqua re iudicium importate, proprie tamen seu sub aspectu iuridico falsam rei cognitionem et repraesentationem inducit. Error igitur per se vitium cognitionis constituit, quamvis eodem tempore etiam consensum afficiat, qui, tamquam actus voluntatis (can. 1057 § 2), actum intellectus necessario praesupponit.

Etenim, sicut ad rem constans traditio theologico-canonica tenet, « quando error cognitionem impedit, sequitur etiam in ipso consensu defectus, et per consequens in matrimonio; et sic error de iure naturali habet quod evacuat consensum » (S. THOMAS, *Commentum in lib. IV Sententiarum*, d. 30, q. 1, art. 1, in c.).

Quomocumque autem vis iuridica erroris in persona consideratur, certum tamen manet in contractu matrimoniali talem errorem

esse substantialem, qui ex natura rei efficaciam iuridicam matrimonium invalidantem exserit, quam insuper lex ecclesialis agnoscit ratamque habet.

6. Conceptus tamen « personae », in quam error cadere potest, alius esse nequit nisi « personae physicae » (cfr. cann. 96 ss.).

Nam « ius connubii », hoc est naturale ius nubendi super quo ius fundamentale christifidelium ad sacramentum matrimonii fundatur (cfr. can. 219; 1058), personae humanae seu physicae tantum competit.

Itemque omni personae physicae tale ius agnoscit *Charta Iurium Familiae*, dum principium iuris naturalis hac in re congerit illudque hisce verbis declarat: « Ogni persona ha diritto alla libera scelta del proprio stato di vita, e perciò a sposarsi e formare una famiglia oppure a restare celibe o nubile » (art. 1; *Communicationes* 15 [1983] p. 143).

Utique conceptus personae apud varias theorias iuris civilis diversus esse potest ab illo quem doctrina philosophica vel acceptio ontologica provehunt (cfr. L.M. CASTAÑEDA, *El concepto jurídico de persona*, Pamplona 1989, pp. 117 ss.). Notum est autem ius canonicum hucusque retinere fundamentalem notionem necnon conditionem « personae physicae » in Ecclesia (cfr. cann. 96 ss. CIC; cann. 909 ss. CCEO).

Attamen, sicut fautores « theoriae purae iuris » dissolutionem conceptus personae physicae propugnant, quae eorum iudicio consistit in personificatione tantum singuli hominis (cfr. H. KELSEN, *Lineamenti di dottrina pura del diritto*, tr. it. Torino 1992, p. 88), in foro canonico quaedam pronuntiationes iurisprudenciales extensionem conceptus personae physicae fovent, videlicet cum personam « magis complete et integre » (coram Canals, sent. 21 aprilis a. 1970, n. 2; SRRD vol. LXII, p. 371) recipiunt, eamque cum persona « sub adspectu sociali, morali, culturali et iuridico » omnino exaequant (coram Davino, sent. 26 martii a. 1987, n. 5; RRD vol. LXXIX, p. 154; cfr. coram Di Felice, sent. 16 novembris a. 1985, n. 10; RRD vol. LXXVII, p. 502; coram De Lanversin, sent. 7 iulii a. 1993, Reg. Insubris seu Cremonen., n. 9), hoc est cum persona « idealiter concepta » per aliquas qualitates, ita ut personam physicam ope cuiusdam personalitatis psychologicae, ethicae, legalis, culturalis, socialis aut oeconomicae omnino resolvant (cfr. coram Colagiovanni, sent. 22 novembris a. 1983, n. 15; RRD vol. LXXV, p.

660; coram infr. Ponente, sent. 24 octobris a. 1991, Florentina, n. 7).

7. Sed conatus laxandi compagem personae physicae in re matrimoniali sustineri nequit, si prae oculis habeantur principia interpretationis legum ecclesialium (cfr. can. 17). Nec ideo in dubitationem vocari potest certum constansque principium iurisprudenciale, iuxta quod notio « personae », de qua in can. 1097 § 1, « unam significationem in lege canonica » praesefere valet, hoc est « individuum physicum ab aliis distinctum » (coram Exc.mo Pompedda, sent. 6 februarii a. 1992, Calicuten., n. 2e), cum nullum ad rem adduci possit argumentum Legislatorem contra traditionem canonicam (cfr. can. 6 § 2) significationem iuridicam « personae » tribuere voluisse etiam individuo qualitatibus moralibus ornato, vel eius intimae structurae, vel immo « intendisse vim erroris in persona tamquam vim erroris in “personalitate” alterius contrahentis » (*ibid.*, n. 2j).

Iamvero nomine personae in iure canonico (cfr. ex gr. cann. 96-98, 100, etc.) venit tantum « subiectum ultimum attributionis iurium et officiorum in sua individualitate et identitate, praescindendo prorsus a qualitatibus vel defectibus eidem inhaerentibus idemve afficientibus. Minime obstat quod ut persona apta sit ad determinata officia vel ad determinatos actus ponendos requiratur ut ipsa praedita sit certis ac definitis qualitatibus a iure determinatis, v. gr. matrimonium facit partium consensus « inter personas iure habiles » (can. 1057 § 1), id est naturaliter capaces et iuridice immunes ab impedimentis, siquidem impedimentum dirimens « personam inhabilem reddit ad matrimonium valide contrahendum » (can. 1073) » (U. NAVARRETE, *Error circa personam et error circa qualitates communes seu non identificantes personam* (c. 1097), in *Periodica* 82 [1993] p. 663).

8. Quam ob rem substantivum nomen « persona » solummodo tamquam « persona humana seu physica » intelligi debet in iure matrimoniali canonico (cfr. cann. 1057 § 1; 1073; 1086 § 1; 1090 § 1; 1097; 1124; 1148 § 3), hoc est « uno eodemque sensu, scilicet pro subiecto iurium et officiorum in sua individualitate et identitate sumpto, abstractione facta ab omnibus ulterioribus qualitatibus quibus singulum subiectum afficitur in sua existentia reali » (*ibid.*, p. 664).

Inde « non apparet quo fundamento iuridico in can. 1097 substantivum “persona” possit intelligi alio sensu ab illo, quem habet in reliquo Codice et speciatim in titulo *De matrimonio*. Agitur enim de

conceptus traditionalis novo sensu, qui introductus est absque sufficienti fundamento in illa coram Canals, quique perrectus est adhiberi in aliquibus causis ad solvendos casus qui hodie solverentur vi can. 1098 de errore doloso. Promulgato autem Codice, sustineri non potest, nisi argumentis peremptoriis probetur, conceptum personae in can. 1097 § 1 habere sensum diversum ab illo quem habet in omnibus aliis locis Codicis » (*ibid.*, p. 664).

Quin etiam, si notio cuiuslibet « personalitatis » in locum « personae physicae » substitueretur, consequenter admitti deberet hanc novam interpretationem conceptus personae « reddere superfluum canonem 1098, de dolo, qui ab omnibus exhibetur uti magna novitas novi Codicis », necnon omnino supervacaneum can. 1097 § 2, « quia non requiretetur ut qualitas sit “directe et principaliter intenta” ut error circa qualitatem haberet vim invalidantem » (*ibid.*, pp. 664-665).

9. Quae cum ita sint, validis argumentis sustineri nequit haec opinio, quae a propria verbi significatione « personae » in can. 1097 § 1 recedit (cfr. can. 17), et loco personae physicae (can. 96), identitatem physicam significantis, quae in iure canonico, praeter personas iuridicas, unicum subiectum iurium et obligationum constituit (cfr. can. 113 § 2), et quidem modo esclusivo in iure matrimoniali, conceptum omnino ancipitem et confusum « personalitatis » introducit, ex aliis disciplinis desumptum, et a traditione canonica omnino alienum.

Ad rem enim Ioannes Paulus II monet atque declarat quod leges canonicae intelligendae sunt « secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam » (can. 17), et « ne consegue che sarebbe del tutto arbitrario, anzi apertamente illegittimo e gravemente colposo, attribuire alle parole usate dal Legislatore non il loro “proprio” significato, ma quello suggerito da discipline diverse da quella canonica » (*Allocutio ad Romanae Rotae Auditores coram admissos*, 29 ianuarii a. 1993, n. 5; in AAS 85 [1993] p. 1258).

Itemque « non si può inoltre ipotizzare nella interpretazione del vigente Codice, una frattura col passato, quasi che nel 1983 vi sia stato un salto in una realtà totalmente nuova. Il Legislatore infatti positivamente riconosce e senza ambiguità afferma la continuità della tradizione canonica, particolarmente ove i suoi canoni fanno riferimento al vecchio diritto (cf. can. 6 § 2) » (l.c.).

Ea de causa « in materia dell' "error in persona" (can. 1097 § 1), ai termini usati dal Legislatore non è consentito attribuire un significato estraneo alla tradizione canonistica » (*ibid.*, n. 7, pp. 1259-1260).

10. Ex quo ideo intelligitur nullam exstare rationem diluendi conceptum « personae physicae » ad augendam vim erroris in qualitate, quia lex ecclesialis sufficienter cavet efficaciae iuridicae erroris in qualitate personae physicae, indolem seu qualitatem moralem, ethicam, culturalem, legalem, psychologiam, sexualem, socialem, oeconomicam personalitatis designante, cum ita statuit: « Error in qualitate personae, etsi det causam contractui, matrimonium irritum non reddit, nisi haec qualitas directe et principaliter intendatur » (can. 1097 § 2).

Disputatur quidem utrum lex superius indicata modo sit mere interpretativa veteris normae de errore in qualitate redundante in errorem personae (can. 1083 § 2 n. 1 CIC 1917), an potius adhibeat formulam, quae « correspondet doctrinae S. ALPHONSI (*Theologia moralis*, lib. VI, Tractatus VI, cap. III, dubium II, n. 1016) et iurisprudentiae hodiernae S.R. Rotae » (*Relatio*, ad can. 1051 § 2; *Communicationes* 15 [1983] p. 232).

Sed in praesentiarum iam pro certo admitti potest « novum canonem non constituere veluti interpretationem veteris legis, sed ex integro tantummodo statuuisse de errore qualitatis irritantis consensum matrimoniale: quamvis, de facto, formula a Legislatore adhibita verbis ipsius utatur quibus una ex interpretationibus canonis abrogati exprimebatur » (coram Exc.mo Pompedda, sent. 22 iulii a. 1985, n. 11; RRD vol. LXXVII, p. 399).

11. Iamvero Codex Pio-Benedictinus nullam mentionem faciebat erroris qualitatis directe et principaliter intentae, et quidem « probabiliter omissa est mentio, hoc in loco, quia reputatum est casum reduci ad condicionem appositam, de qua ille Codex agebat in can. 1092 » (U. NAVARRETE, *Error circa personam*, p. 653).

Namque « in schemate a. 1913 hic canon (id est 1083 — qui in schemate erat can. 364) apparet iam in sua redactione definitiva. Attamen in § 2 addebatur numerus tertius: « 3°. Si consensus datus sit sub conditione qualitatis quae desit ». Hic numerus deletus est et materia remissa est ad canonem de matrimonio condicionato » (*ibid.*, p. 654).



Patet igitur vigente quoque vetere Codice « agnoscitur influxum invalidantem erroris qualitatis directe et principaliter intentae. Quaestio tangit non caput nullitatis quod, positus ponendis, admittitur, sed eius collocationem in systemate generali actuum iuridicorum » (l.c.), quia intentio in qualitatem effectus iuridicos producit « habita ratione cuiusdam implicite condicionati consensus » (coram Heard, sent. 21 iunii a. 1941, n. 1; SRRD vol. XXXIII, p. 529; coram infrascripto Ponente, sent. 15 februarii a. 1980, n. 5; RRD vol. LXXII, p. 94).

12. Attamen superius citata sententia « coram Canals » figuram erroris qualitatis directe et principaliter intentae includit in figura erroris qualitatis in errorem personae redundantis (can. 1083, § 1, n. 1 CIC a. 1917) tamquam eius « minus strictam notionem », videlicet « si qualitas prae persona intenditur (sent. 21 aprilis a. 1970, n. 2; SRRD vol. LXII, p. 371).

Haec autem inclusio, prout quis ad rem argumentatur, « sub respectu terminologico non respondet doctrinae fere communi inde a Sánchez; sub respectu autem sistematico discedit a Codice, qui errorem circa qualitatem praevalenter intentam noluit collocare in can. 1083, sed illam nullitatem collocat inter nullitates ex « condicione » apposita et non revocata, de qua in can. 1092, vel ex errore « qui recidit in condicionem sine qua non », de quo in can. 104 (semper Codicis 1917) » (U. NAVARRETE, *Error circa personam*, p. 657).

Utique pronuntiationes iurisprudenciales, quae memoratum sententiam secutae sunt nunc « oculis benignis iudicari possunt tantummodo habita ratione momenti historici transitionis, quo ius canonicum inveniebatur. At negari non potest methodum adhibitam ad his Iudicibus ultragressam fuisse limites interpretationis et applicationis legis et sibi assumpsisse munus legislatoris. Quod in ordinamento canonico Iurisprudentiae non competit nisi intra limites valde strictos, iure praevisos » (*ibid.*, p. 657).

13. Ad textum autem iam citatae legis ecclesialis (cfr. n. 10) quod spectat, in primis dicendum est errorem in qualitate personae non irritare matrimonium, si det tantum causam contractui (can. 1097 § 2), hoc est si modo rationem vel motivum celebrandi nuptias cum comparte intuiti alicuius qualitatis constituat.

E contra, error in qualitate personae matrimonium reddit nullum, si qualitas directe et principaliter intendatur (can. 1097 § 2).

Haec enim qualitas, cum non sit determinativa personae physicae, etsi per se seria esse debet, hoc est « né frivola né banale », sicut Ioannes Paulus II ad rem monet (*Allocutio* cit., n. 7, p. 1260), natura sua tamen ad substantiam matrimonii non pertinet, ideoque a contrahente « directe » intendatur oportet.

Idque fit cum qualitas obiectum immediatum actus voluntatis constituit, non vero obiectum genericum vel mediatum, quod in alio obiecto continetur, vel ex quo tamquam ex praemissis deduci potest (coram infrascripto Ponente, sent. 24 octobris a. 1991, Florentina, n. 11).

Commutatis verbis, agitur heic de qualitate, quae « ex voluntate praevalenti contrahentis ingreditur obiectum consensus, ita ut consensus rapse pendeat ab existentia vel minus illius qualitatis » (U. NAVARRETE, *Error circa personam*, p. 667).

14. Deinde qualitas haec « principaliter » actu voluntatis contrahentis attingi debet, hoc est si praecipue prae ipsa persona partis attendatur, non autem accessorie et incidenter, sicut aliquid iuxta substantiam personae, illamque tantum concomitans.

Etenim, si vim adverbii « principaliter » explanemus verbis S. Alphonsi, tunc admitti potest quod hoc in casu « consensus fertur directe et principaliter in qualitatem, et minus principaliter in personam » (*Theologia moralis*, cit., n. 1016; coram infrascripto Ponente, sent. 24 octobris a. 1991, Florentina, n. 11).

Sed existentia erroris in qualitate directe et principaliter intenta in contrahente tempore nuptiarum concludentibus argumentis probari debet.

Iamvero mera ignorantia defectus alicuius qualitatis non sufficit, quia nullam falsam cognitionem eiusmodi defectus praesupponit.

In aestimandis autem probationibus « non est sistendum in cortice verborum illius qui contendit errasse in qualitate, sed in investigando animo quo ad nuptias accesserit, omnibus circumstantiis, nec non eius peculiari indole ac ingenio diligenter inspectis » (coram Jarawan. sent. 18 decembris a. 1984, n. 2; RRD vol. LXXVI, p. 644).

IN FACTO. — 15. Acta causae quamvis elementis probatoriis haud abundant, clare tamen ostendunt tempore celebrationis nuptiarum interfuisse in parte actrice errorem quoad qualitates personae viri conventi Iosephi, qui eam decepit falsas qualitates morales, reli-

gias ac civiles usurpando, quae veluti novam effingebant imaginem eius personae, quam Anna summopere exoptabat in futuro marito.

Actrix iam in libello narrat Iosephum in occursibus apud Universitatem studiorum habitis, ubi ille in primo anno litterarum erat, ipsa vero in primo anno psychologiae, agendi modum ostendisse reverentem, suavem ac benevolum, ex quo mense augusto a. 1979 eorum relatio amicalis mutata est in consuetudinem vere sponsalem.

Tunc enim conventus amanter declaravit Annae « de concretar y consagrar su amor hacia mí mediante el sacramento del matrimonio ».

Sed paulo ante nuptiarum celebrationem, mutuo consensu statutam, Iosephus confessus est se, in aetate duodetriginta annorum, praegnantem reddidisse in statu ebrietatis ancillam domus paternae, quae filium peperit agnitum a sola matre naturali. Perpensis circumstantiis, Anna excusatum habuit confessum sponsum: « me convenció sea porque yo estaba fuertemente enamorada de él — y porque, siendo José, persona atenta, agradable y galante con todos, podía, víctima de estas buenas cualidades, haber caído en un acto de debilidad ».

Notandum est tamen actricem post nuptias tantum detexisse, hoc est postquam Iosephus fugam arripuerat, illum ante nuptias agnovisse paternitatem filii ex ancilla progeniti, quod revera exeunte mense iulio a. 1979 obvenit.

16. In iudiciali examine pars actrix agendi modum conventi in errorem eam inducentis clare in lucem profert: « El trato frecuente por razones de estudio, me hizo descubrir en él la amabilidad para con ella y su familia, respeto, compañerismo, lo que los hizo llegar a pensar en algo más serio ».

Idque ipsius propinqui, tamquam testes inducti, plerumque comprobant.

In depositione patris Annae, haec notantur: « cuando se dió que su hija andaba de novia de José, él creyó que se trataba de un hombre serio, calmado, y que incluso aceptaba en casa por su modo de ser, esa sería la impresión que el declarante tenía de José ». Item mater actricis respondet « que su hija ha tratado de hacerlo cuando todavía no se sabía nada de él ». Frater actricis R. declarat se ante matrimonium iudicasse conventum « como alguien que tenía mucha experiencia en la vida », dum soror de sponso loquebatur si-

cut de persona « educada y responsable ». Iudicium positivum de convento sibi efformavit quoque amita actricis G., hoc est « como un hombre muy serio ».

Merito igitur Patronus ex officio actricis concludit virum conventum callido agendi modo in errorem induxisse non solum clientem suam, sed etiam omnes de eius familia testes, cuius facultas critica obnubilata non erat magno amore erga conventum, sicut in muliere actrice.

Quare agendi ratio conventi eiusque opinationes a fortiori suaserunt amore captae actrici illum revera esse ferventem christifidelem catholicum, virum probum atque civem pacificum rei publicae.

17. Quae cum ita sint certum est partem actricem ante nuptias erravisse in qualitatibus personae viri conventi, quas summi faciebat in futuro marito atque praesentes erronee existimabat in Iosepho, qui callide sese ostenderat membrum sedulum communitatis ecclesialis, virum honestum atque officiosum civem erga constitutam societatem iustumque socialem ordinem.

Inde congruenter Anna in iudicio canonico fraudem adversus eam a convento patratam denuntiat, ob quam in errorem circa qualitates, sine quibus illi numquam nupsisset, ingenue cecidit.

Queritur enim: « José me tendió una trampa en la que infelizmente caí ». Iamvero Anna magni existimabat has qualitates in futuro marito ad vitam coniugalem sereno animo ducendam: « Para la felicidad mia y de mis padres yo me quería casar, como es natural, con un varón que llenara, cumpliera, compartiera, viviera conmigo; deseaba estas cualidades externas como condición « conditio sine qua non »; pero la conducta negativa y fingida de mi novio me ha llevado a emitir por error el consentimiento matrimonial...; pretendía esos dotes en el contrayente que nunca han sido respetados, para el alcance de la común felicidad de los dos ».

18. At post matrimonii celebrationem Anna certior facta est Iosephum esse sectatorem nec non occultum bellatorem factionis subversivae vulgo dictae « Brigadas Obreras », qui insuper grave quoddam munus in illa organizatione exercebat.

Ad rem enim Iudices secundi gradus notant: « no era un simple afiliado del partido, sino mucho más. Nosotros somos bien concientes que una persona con esta dedicación a este movimiento subversivo, condiciona cualquier compromiso que haga posterior al compromiso hecho con su partido ».

Actrix vero conscia erat magni periculi provenientis ex Iosephi adscriptione illi turmae eversoriae, quae ordinem socialem funditus evertere conabatur. Hisce in rerum adiunctis nuptiae cum convento secum ferebant periculum exponendi « la vida y la seguridad del matrimonio ».

Sed vir conventus ante nuptias celavit Annam de sua adscriptione factioni eversoriae.

Iamvero Anna admittit se nonnisi « a principios de Junio 1981 » percepit « que pertenecía a un movimiento subversivo » et « no tuvo antes ninguna sospecha, pues él afirmaba no tener derecho a exponer la vida de la declarante ni la suya propia », ex quo igitur, detecta veritate, « ella se decepcionó, se llenó de temor y angustia sobre todo por la muerte de la madre, que fué asesinada ».

19. Attamen Iosephus in processu primae instantiae sententiam rogatus, curiam veritatem pertinentiae factioni subversivae absconderit sponsae suae ante nuptias, ita respondet: « Ella sabía que yo pertenecía a un grupo político ».

Merito tamen Patronus ex officio notat conventi responsum revera callidum esse, quia ipse non asserit neque negat se pertinuisse ad factionem subversivam « Brigadas Obreras », quae tunc reipublicae fundamentalis evertendis maxime operam dabat.

Sed aliud est nomen dare factioni politicae legali; aliud est militiam activam exercere in factione seditiosa, quae in natione illa bellum civile seu intestinum gerebat, ad dictaturam extremae sinistrae instaurandam.

Quare silentium conventi circa nomen factionis politicae, cuius particeps et socius erat, iam per se loquitur. Verum quidem est in suppletiva instructione ab eodem convento nullam acclaramentationem obtineri potuisse, quia vitam clandestinam cum amasia ducit propter illegalem suum ingressum in civitatem Angelorum. Ceterum Iosephus iam in primo vadimonio manifestavit propositum ducendi aliam mulierem « que tiene un hijo mío ».

Actrix, e contra, in altero vadimonio probat conventum nonnisi post nuptias admisisse pertinentiam suam factioni seditiosae in qua fuisse « miembro activo de Brigadas Obreras » saltem ab anno 1977, « porque él trabajaba en la Fábrica XX S.A. desde el año 1977, era miembro del sindicato y ese sindicato estaba afiliado a las Brigadas Obreras ».

20. In suppletiva instructione ad quaesitum: « ¿Cómo sabe que él era miembro del sindicato y que los sindicalistas estaban afiliados a las Brigadas Obreras? » — pars actrix respondet: « Yo encontré documentos o recibos de las cuotas sindicales que él pagaba, él me dijo después que el sindicato también pertenecía a las Brigadas Obreras, eso me lo dijo después del matrimonio ».

Immo, postquam conventus pertinentiam suam factioni seditiosae « que es un partido comunista cuya praxis marxista-leninista es conotada » actrici manifestaverat, iam domi coniugali proprios circuitos componebat: « él llegaba con otros hombres a reunirse a la casa; al preguntarle me dijo que tenían que reunirse en un lugar donde no hubiera sospechas de sus asuntos políticos ».

Pars actrix etiam documentum adduxit de subscriptione viri conventi ad syndicatum industriae apud fabricam « XX S.A. ».

Quare declarationes iudiciales Annae etiam documento confirmatur, quod die « 17 de Noviembre de 1980 » exaratum est atque summam pro mense octobri illius anni solutam a convento indicat.

21. Ad comprobendam assertionem de periculo gravissimo, in quo familiares sectatorum factionis, ad regimen terroris pertinentis, versabantur, pars actrix in suplemento instructionis documentum auctoritatis publicae « Departamento de Morazan » exhibuit de morte matris conventi P., quae « falleció en forma trágica y violenta en aquella ciudad ». Nil mirum, igitur, si pars actrix adscriptionem conventi illi turmae non accpetabat, immo considerabat gravissimum quoque periculum pro se suisque familiaribus.

Nam Iudici sciscitanti « cuándo él a la pregunta suya le contesta que pertenecía a Brigadas Obreras ¿qué dijo él? » — pars actrix hoc tantum memoria prosequitur: « Yo le dije que no estaba de acuerdo con eso. Me dijo que ya era miembro y que así tenía que seguir, ellos tienen como un juramento de eso ».

Et iterum: « Yo no estaba para nada de acuerdo. Yo se lo dije a él y él contestó para qué había sido tonta y le había creído, y para qué me había casado con él ».

Certum est igitur errorem circa viri adscriptionem factioni seditiosae, in quo actrix ante nuptias versabatur, causam dedisse contractui, quatenus — ait ipsa — « No me hubiera casado si lo hubiera sabido ».

Quin immo, qualitates conventi, praesertim vero eius sinceritas ac probitas erga ordinem civilem propter assumendas « las responsa-

bilidades del hogar » pars actrix, ut refert, « esto era lo que buscaba directa y principalmente ». Conventus autem iuxta declarationem actricis « él estuvo de acuerdo en que esas cualidades las tenía y que él decía ser muy sincero y que me quería ». At si qualitas directe et principaliter intendatur, error circa eam nullitatem matrimonii efficit.

22. Quibus omnibus in iure et in facto mature perpensis, Nos infrascripti Patres Auditores de Turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, declaramus, decernimus ac definitive sententiamus, ad dubium propositum respondententes: *Affirmative seu constare de matrimonii nullitate, in casu, ex adducto capite erroris in qualitate directe et principaliter intenta ex parte mulieris actricis.*

Romae, in sede Tribunalis Rotae Romanae, die 22 iulii a. 1993.

*Antonius Stankiewicz, ponens  
Aemilius Colagiovanni  
Hyginus Ragni*

(*Omissis*).

